



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 96. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erant, quod futurum erat, dixerunt: Domine si percutimus in gladio? v. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

millesexcentis annis, hanc patienter iniuriam tulisti! poteras vel Elia ignem, vel Ananiæ subitam mortem, vel Eleemolynæ cæcitatem eis infligere ad ultionem; sed maus tu charitatis ignem in cordibus eorum accendere ad conuersionem: Hæc est benignitas tua, quam testatus es erga Iudam, dicens: *Iuda osculo filium hominis tradis!*

§. 96. *Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt: Domine si percutimus in gladio? v. 49.*

Mente reuoluentes dicta Christi in cæna, de alicuius in mensa proditione per verba, *Vnus vestrum me traditurus est: qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet.* Et videntes iam facta Iudæ proditoria, sub specie amicabilem osculi & auribus percipientes verba Christi ad ipsum: *Iuda, osculo filium hominis tradis* & appropinquando milites iniicere in Dominum cum impetu sacrilegas & violentas manus; Dixerunt discipuli, *Domine si percutimus in gladio*: ybi multa consideranda obueniunt: 1. quod Discipuli veracitatem Magistri sui agnoscunt in prædicando. 2. quod memores mandati eius, de non percutiendo priuata Authoritate, prius eum interrogant, an debeant percutere armis. 3. Zelus & animositas paucorum contra tam multos & belli peritos.

O Fideles & animosi discipuli, tanto magistro digni, orate pro me eundem vt & ego vobiscum intendam & pergam animose, & fidebre eius honorem defendere omni tempore & modo quo possum, & expedit animæ meæ: verbis, facto, cogitatione, vsque ad vltimam spiritus mei exhalationem! Veruntamen semper ita, vt prius os Domini interrogem siue vicariorum illius.

§. 97. *Et percussit vnus ex illis seruum Principis Sacerdotum. v. 50.*

Lucas tacet nomen Petri percutientis, honori eius consulens vel condolens vel certe per prærogatiuam Excellentiæ, describens clam, quasi diceret: *Vnus eximius inter eos, maximus &c.* Vt ut sit multa sunt Domine monstra horribilia quæ occurrunt seruis tuis ambulantibus per viam & festinantibus ad ciuitatem, quæ sursum; est & propterea in schola tua instruuntur & animantur fortes Auditores tui ad pugnandum contra Principes tenebrarum, contra leges mundi, & contra seipos, quod est partium omnium fortissimum; in hoc tu Magister vitæ doctes manus nostras ad prælium & digitos ad bellum, ne postquam spiritu cœperunt carne consummentur, aut alio modo deficiant. Quocirca illi armati virtute tua procedunt firmiter sperantes in te, pro varietate præcliorum vrentes varia disciplina